



**Erasmi a Chokier Tractatus iurisdictionis ordinariae in
exemptos, illorumque exemptione ab ordinaria
iurisdictione**

in duos tomos distinct.

Quo Praeter Varias Ac pervtiles Additionibus praecipuis & in foro
potissimum occurentibus Tomi primi Quaestionibus annexas, etiam S.
Rotae Romanae Decisiones Novissimae De Eadem materia editae, &
singulari studio selectae continentur - Hac postrema editione
praecedentibus duobus Tomis primum additus

Chokier, Érasme de

Coloniae Agr., 1684

Decisio LXII. Constitutiones Papæ promulgatæ, an tollantur per non usum
aut contrarium usum, & qualiter contra illas currat præscriptio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61921](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61921)

Auctor hic numer. 33. Ceterum contrariam negativam tenet *Fagnan.* in cap. 10 parte numer. 25. & 26. de privileg. ubi resolvit privilegium exemptionis à Sixto V. concessum Referendariis Apostolicis non restringi ad terminos Concilii, ut falleret tantum exempti sint ab ordinariis procedentibus jure ordinario, sed etiam ab ordinariis procedentibus jure delegato. Specialitatis ratio inter Concilium Tridentinum & alia Concilia generalia ea est, quod in hoc expressè legitur præservata auctoritas Papæ, in aliis tacitè tantum. Concordat *Rota decif. 179. numer. 6. part. recent. & decif. 259. num. 9. part. 7.*

DECISIO LXII.

Constitutiones Papæ promulgatæ, an tollantur per non usum aut contrarium usum, & qualiter contra illas currat præscriptio.

R. P. D. C A V A L E R I O.

Romana Concordiæ.

Veneris 13. Novembris 1609.

S U M M A R I U M.

- | | |
|---|---|
| <ol style="list-style-type: none"> 1 Dicitio nisi precedente negativa affirmat in exceptis. 2 Effectivatio requiritur ad hoc, ut jura & constitutiones ligent & probent. 3 Constitutio Papa promulgata non tollitur per non usum vel contrarium usum, nisi data scientia & tolerantia pape. 4 Observantia non est de forma sub- | <ol style="list-style-type: none"> stantiali constitutionum Papæ. 5 Præscriptio contra constitutionem principis non inducitur, nisi sit immemorabilis, & spatio 40. annorum. 6 Consuetudo in præjudicium tertii non inducitur, nisi parte citata secundum eam fuerit obtentum in judicio. 7 Præscriptio non inducitur stante mala fide. |
|---|---|

Dubium

Ubiu[m] erat, An in alienationibus rerum immobilium, & iurium Basilicæ S. Petri, nec non in locationibus casalium ultra novennium, vel domorum ultra tertiam generationem, Beneficiati vocari debeant, ita ut habeant vocem consentiendi vel dissentiendi? Et Rota ad favorem Beneficiatorum respondit affirmativè. Quia quidquid sit de jure communi, in hoc casu non erat ad illud recurrendum, cum adessent provisiones particulares summorum Pontificum; Nam quoad alienationes rerum immobilium & iurium in constitutione Nicolai III. fel. mem. quæ datur in libello impresso num. 25, ad sunt verba clara, quæ sunt ista. *Huiusmodi verò Beneficiati cum ad tractatus Capituli non admittantur, nec vocem in Capitulo habeant, nec aliquam potestatem de iuribus, bonis, seu quibuscunque negotiis ad ipsam Basilicam pertinentibus disponendi, nisi ubi de alienatione rerum immobilium, vel iurium d. Basilicæ ageretur, tunc enim assentiendi & dissentiendi huiusmodi tractatus vocem habeant.*

Quo verò ad reliqua adest Motus proprius fel. record. Pauli III. in quo sunt hæc verba ampliativa: *Hoc nihilominus nostro decreto ad præsens declarantes, quod cum ex antiqua constitutione sancitum sit, Beneficiatos non habere vocem aliquam nec potestatem in Capitulo, nisi ubi de alienatione bonorum immobilium, vel iurium ageretur, eam exceptionem intelligendam esse, etiam ubi tractaretur de locatione casalium ultra novennium, vel domorum ultra tertiam generationem, etiam si hæc prædicta ultra illud tempus sine Beneficiatorum interventu locari consueverint.*

In quibus verbis constitutionis Nicolai repetitis in hoc Motu proprio Pauli III. Domini præcipuè considerabant dictionem illam: *Nisi, quæ ubi præcedit negativa, includit & affirmat in exceptis. Geminian. conf. 15, numer. 18. vers. super quinto Bartol. conf. 46, numer. 1. lib. 2. Jason. in l. actione num. 3, C. de transact. Alexand. conf. 83, num. 3 lib. 1.*

Nec dixerunt obstare quod pro parte Canonicorum excipiebatur, videlicet prædictas constitutiones non fuisse usu receptas, dum ipsi ostendebant plures alienationes factas à Canonicis sine interventu Beneficiatorum, unde iura pro parte Beneficiatorum non videbantur facere fidem, tanquam effectu carentia. *cap. cum dilectus, de fide instrument. Abb. conf. 5, num. 3, lib. 2. Natta conf. 574, numer. 14. & conf. seq. num. 9. Bartol. conf. 144, num. 1, lib. 1. Gozadin. consil. 23, num. 9. Cephal. consil. 96, numer. 15. & seq. lib. 1. Roland. conf. 32, num. 8, lib. 4.*

Quia respondebatur quod de effectu & usu Bullæ Nicolai III. constat ex confirmatione in Motu proprio Pauli III. & nihilominus eo ipso, quod sunt promulgatæ Constitutiones Papæ dicuntur effectuatæ, nec potest contra illas induci non usus neque contrarius usus, nisi data scientia ejusdem Papæ. *Abb. in cap. ult. num. 4, vers. unde ibi de Treug. & pace. Felin. in cap. 1, num. 6, vers. Lex nova eod. tit. ubi assignat rationem, quia scilicet Princeps tolerando & sciendo videtur acquiescere, & testa-*

& testatur de communi Covar. var. resolut. lib. 2. cap. 16. numer. 6. vers. Quod
 4 sum. Put. decis. 1. in fine lib. 1. usus enim & observantia non requiritur in con-
 tione Papæ de formâ substantiali, sed accidentaliter. Felin. in d. cap. 1. num. 13. col. penult.
 vers. bene facit.

Et propterea Domini non putaverunt intrare præscriptionem allegatam, quia
 ad eam inducendam esset necessaria consuetudo rationabilis præscripta spatio 40
 annorum juxta terminos cap. ult. ubi glossa in verb. legitime de consuetud. Rot. decis.
 num. 5. eod. tit. in vovis. Abb. in d. cap. num. 4. vers. ego sic distinguem de regua. & præ-
 talis autem præscriptio formata hic non adest, quia non constat de aliquâ scientiâ
 Papæ, ut dictum est; nec potest dici, quod Papa sciverit, ex eo, quod in quâdam
 alienatione facta à solis Canonicis Paulus III. derogavit defectui consensus Bene-
 ficiatorum, quia ex eo non arguitur scientia Papæ, imò potius colligitur, quod Papa
 in aliis similibus alienationibus putavit intervenire consensum Beneficiatorum, et
 vulgari regulâ, quod exceptio in uno casu firmat regulam in casibus non exceptis.
 Sed etiam, quod Papa scivisset, non potest talis scientia, ad effectum inducen-
 di contrarium usum, suffragari, stante clausulâ in eodem Motu proprio Pra-
 li, etiam si hæc prædicta sine ipsorum Beneficiatorum consensu locari con-
 sueverint.

Minus constat de aliquâ contradictione Beneficiatorum, nam necesse est
 probare ad inducendam præscriptionem, quod in talibus alienationibus Bene-
 ficiari voluerint intervenire, & fuerint rejecti, & in cap. cum Ecclesia Sutrina, nu-
 mero 68. de cau. poss. & prop. & cum usum constitutionis regulariter semper præ-
 sumatur, Gozad. conf. 16. numer. 16. Caputq. decis. 220. par. 2. oportet pro-
 bare contrarium usum obtentum in contradictorio judicio. Gabr. conf. 84. nu-
 mero 60. vol. 1.

Neque etiam visa fuit probata scientia Beneficiatorum in alienationibus alle-
 gatis, quia licet in iis aliqui ex ipsis fuerint adhibiti testes, non inferitur ex hoc, quod
 alii sciverint: Nec tales, qui sciverunt, potuerunt aliis, aut successoribus præjudicari.
 Ultra quod neque constat, tales, qui sciverunt, habuisse notitiam privilegiorum, &
 constitutionum præfatarum.

Visa etiam fuit relevans commissio causæ obrenta tempore Julii III. à Bene-
 ficiatis contra Canonicos super hac admissione ad alienationes, & aliis, de quibus
 hodie controversatur, ex quâ non solum excluditur præsentia Beneficiatorum patien-
 tia, sed ostenditur clara, & aperta contradictio.

Tandem cum constitutio Nicolai III. sit facta de communi consensu, & un-
 7 animi voluntate Archiepiscopi, & Capituli, ut in ea dicitur num. 98. & asserve-
 tur in Archivo Capituli non putavit Rota, quod Capitulum posset allegare præ-
 scriptionem, stante malâ fide, & possessor. de regul. jur. in 6. Aym. conf. 146. per tot. Ca-
 putq. decis. 24. num. 1. & 2. & decis. 362. lib. 2.

Et

Et ex his Domini resolverunt contra Capitulum & Canonicos. Vtum, quia apponebatur d. Motum proprium Pauli III. fel. mem. non esse in forma probanti, dictum fuit, quod super hoc particulariter videretur.

DECISIO LXIII.

Constitutiones Apostolicæ, & præsertim Clementis VII. & aliorum Antecessorum de extendendis consensibus in libris Camerae infra 15. dies à die missæ, nunquid per non usum aut contrarium usum sublata dicantur, accedente præsertim tacito consensu Papæ.

REVERENDISS. P.D. DAMASCENO.

Conchen. Beneficium

Decisio 356.
par. 1. recent.

Luna 14. Novembris 1611.

SUMMARIUM.

- | | |
|---|---|
| <p>1 Constitutiones Clementis VII. & aliorum Pontificum de extendendis consensibus in libris Camerae infra 15. dies à die missæ, non sunt in usu, nisi primò & sequentibus.</p> <p>2 Constitutionis non usus debet probari in specie, & concludenter, quod super non usu fuerit aliàs iudicatum.</p> <p>4 Stylus difformis an, & quando sit attendendus, ut consuetudinem in-</p> | <p>ducat.</p> <p>6 Constitutio, non est novum, quod servetur in aliqua parte, & in alia parte in consuetudinem abeat.</p> <p>7 Constitutio Apostolica, & illius validitas per non usum, vel per contrarium usum minimè tollitur, declaratur num. 2.</p> <p>8 Cancellaria Apostolica dicitur organum Papæ.</p> |
|---|---|

Scion.